



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Epistola Dedicatoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMI- NO, DOMINO

Wolfgango Wilhelmo

COMITI PALATINO RHENI , DUCI
BAVARIAE, IVLIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM;
Comiti in Veldenz, Sponheim, Marchia, Ra-
uenspurg & Mörs, Domino in
Rauenstein, &c.

FRANCISCUS SACCHINVS
E SOCIETATE IESV, s.

Nudem adesset mihi, Serenissime Prin-
ceps, ingenium & lingua P. Petri Cani-
sii, ut quanto per ille gaudear suar res
exornari nomine tuo, satis expromere,
& eloqui possem. Fuit profecto ille vir, ut virtutibus
ceteris in plenum instructus, ita boni publici perstu-
diosus, religionis Catholicae immensum amans, &
A 2 propu-

Epistola

propugnator vel ultra vires; sitientissimus animarum, cupidissimus bonorum, obseruantissimus eminentium personarum, & aduersus bene de se meritos admirabiliter gratus. Quae omnia Virum tibi, quemadmodum si mortalis superesset, maximè deuincirent, ita immortalitate beata (quod non dubitamus) perfruentem, summè conciliant. Intuetur enim quantum ex te incrementi commune bonum, quantum casta religio, & animarum publica salus capiat. Principatus publica ornamenta, famulantesque Deo opes, unaque eximias priuata videt tuae vita laudes; nec sibi quantum tribuas, non intelligit. Itaque cùm in clarissima illa sempiterni die lucet alia contempletur, plurimumque iam Beatorum in Regno posset ac polleat, deamat proculdubio te, per studiosè que tuetur; & alius super alia cumulat donis, nihilo minus, quam tu eius quasi discipline alumnum te profiteris, tibi se probare gestiens Patronum ac Patrem. Igitur sanctæ eius mentis interpretanti sensum mihi unus omnium oblates Tu, Optime Princeps, cuius maximè vellet cum suo nomine consociari nomen, rebusque inde suis firmamentum, ac splendorem adiungi; quo de pluribus posset, pro immensa illa, qua non extincta morte,

morte, sed aucta immortalitate est, communis bonica cura, tanto commilitone, & quasi collega adiuuante, etiam mortuus benemereri. Hac explicare Canisius & dilatare quanta grauitate, ac sanctitate posset? Adderet & mihi argumenti benignitas facultatem, nisi quantum excitat eius prstantia, & ubertas, tantum coerceret modestia tua, cuius citra offensionem lumen illa suum adipisci non possunt. Verum satis opinor ratio constat consilij mei, cur opusculum hoc nomini tuo inscripsierim: cetera de Canisio legent homines in his libellis: de te credent oculis suis. Cuius spectaculi fructum diuina bonitas det in tempus quam longissimum maiorem semper cum admiratione, & cum mulatiore gaudio surpare.

